



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XXV. Potentia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

confessionis. Idem Medicus, idem sodales, & amici eum invidentes, sed frustra, suadebant. Denique Medicus, deprehensis signis instantis mortis, scribē urgere ad poenitentiam, pradicere post pauculas horas mortem; sed frustra. Tandem profernit, se Confessarius, & orat ante Crucifixum Pl. 129. 1. De profundis cla-

mavi ad te Domine &c. cūque perveniret ad illa verba: *fiant aures tue intendentes &c.* mirum dictū! refigit crucifixus brachia de cruce, & manibus aures suas obturat cum ingenti horrore astantium. Illicō audita vox: *quia vocavi, & renuisti; ego quoque in interitu tuo ridebo.* Georg. Raab. in reg. prud. c. 11.

TITULUS XXV. POTENTIA DEI.

§. I.

Testimonia.

IN principio creavit Deus caelum, & terram. Gen. 1. 1. Deus præter humanum morem, suum perficiens adificium, prius caelum extendit, postea & terram substernit; prius culmen, & postea fundamentum. In hominum sanè operibus nihil tale unquam fuit: sed, jubente Deo, voluntati ejus parent; & cedunt, omnia. S. Chrysostr. t. 1. hom. 2. in Gen.

Factus est homo in animam viventem. Gen. 2. 7. Chald. in animam loquentem. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terrae.* Hebr. *plasmavit Deus hominem pulverem; vel lutum, de terra. Inflessit:* ut ostenderet, ait Theodoretus, tam facile esse Deo animam creare, quam homini insufflare. Cornelius hic.

Quis sum ego, ut vadam ad Pharaoem? Ex. 3. 11. Sapius se Moyses apud Deum excusavit de adeundo Pharaone. Ad quem Dominus: *ego ero tecum; & hoc habebis signum, quod miserim te.* v. 12. &c. Quarunt Interpretes, quodnam fuerit hoc signum à Deo exhibitum; ex quo Moyses intelligeret, se aptum fore tantæ legationis ministrum: an prodigium aliquod? quale dedit Gedeoni Judic. 6. 37. quale dedit Ezechia. 4. Reg. 20. 9. quale promisit Achaz. li. 7. 11. Nullum simile in litera proferitur. Aptè Burgensis: in habilitas, seu debilitas, Moysis, quam Deo offendeat ad excusationem suam, erat intenta à Deo, ut esset signum manifestum de hoc: quod ista eductio fieret à solo Deo: Mendoza in 1. Reg. 14. 7. hic.

Percutens virgā bis siliem. Num. 20. 11. Silex est petra dura, sicca; inepta ad aquam, sed prompta ad ignem; ut notat Abulens. ut sic reluceret magis divinā virtus. Sylveira Addit. in Joan. 2. c. 6. q. 2.

Omnisque populus per arcem alveum transibat. Joan. 3. 17. Celebrant Historici. Euphratis divisionem; quam primò fecit Semiramis, secundò Cyrus, tertio Alexander M. Cyrus enim Babylonem expugnavit, Euphratem, qui eam interluit, in fossas plurimas dividendo; ac per siccum Ephraitis alveum in urbem milites immittendo, teste Herodotò l. 1. At quot mensibus in his fossis effodiendis laboratum est? quantis impendiis? quot hominum millibus? Josue verò Jordanem, inferendo in eum solum Arcam, illicō divisit, siccavitque; ac per eum trices centena millia hominum, cum

tot millibus gregibus ovium, boum, asinorum, camelorum, equorum, curruum &c. paucis horis traduxit. Similiter Elias, palliò suò percutiens Jordanem, eum divisit, ac per divilum sicco pede transivit. 4. Reg. 2. 8. Idem fecit Elizaus. 4. Reg. 2. 14.

Aperuit itaque Dominus molarem dentem &c. Judic. 15. 19. Deus per eandem maxillam sitis remedium præbuit, eliciens ex ea aquæ fontem perennem. Disce, quam magnus Deus, per res viles, & parvas, uti per maxillam, magna operetur. Quare nemo desperet, se ejus ope magna facturum; dummodo ei strenuè cooperetur. Cornelius hic.

Hoc est vel maxime potentiae Dei munus, hoc imprimis ostendit ejus vires; quòd in medijs malis, & periculis, non sinit dejici animum. S. Chrysostr. in Pl. 137.

Quis videns differentes hominum in tot millibus formas, & nunquam secundum omnia convenientes, non mirabitur opus. S. Greg. Nyss. l. 8. de provid. c. 1.

Ut ex linea unica Apellis inimitabilem in pingendo peritiam luculentè deprehendit Protopogenes; ita certè, tametsi scarabæum, aut muscam duntaxat, condidisset Deus; abundè potentiam, ac magnificentiam suam, testatus esset; & gloriam eo mereretur infinitam, quòd de nihilo, & solus, adeoque facillè id procreasset: quod Angelorum omnium nullus intellectus, nulla hominum brachia, nulla opificum instrumenta, nulla sapientum industria, nulla regum potentia, attentare auderet, nedum valeret perficere. Doultreman de amore l. 3. c. 5. Sect. 1.

§. II.

Pœnitentiæ divinæ omnia facilia.

Dixitque Deus. Gen. 1. 3. id est, mente concepit, voluit, imperavit efficaciter; atque imperando reipsa effecit: Dei enim velle, est facere, inquit S. Athanas. l. 3. contra Arrianos. Cornelius hic.

Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt. Pl. 148. 5. Cùm universum conderet terrarum orbem, & omnia, quæ in illo sunt, à principio dixit, & facta sunt. Non aliter Angelorum naturam, quam cujuscunque vermiculi, creavit; non amplius laboravit. Ar verò, cùm hominis naturam plasmare vellet; ut ostenderet, qualis esset, quem facere volebat, quantumque illum diligeret

ligeret, ait: *faciamus hominem ad imaginem &c.* Gen. 1. 26. S. Laurent. Just. de discipl. monast. convers. c. 11.

Ludens coram eo omni tempore. &c. Prov. 8. 30. *Ludens*: quia creationem, conservationem, propagationem, & gubernationem, tam facile, & jucundè, peregi, ac perago; acsi luderem. Porrò lusum hunc perago maxime in orbe; ubi continuò produco nova animalia, pisces, aves &c. Sed tamen *delicia mea, esse cum filiis hominum*. q. d. in aliis ludo; sed cum hominibus delictior, præsertim in templo. Unde Deus templum vocat suam voluptatem, juxta Pf. 26. 4. *ut videam voluptatem Domini.* Cornelius hic.

Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Luc. 1. 37. Hebr. *non erit impossibile apud Deum omnis res.* Et licet idem sit sensus cum nostra Vulgata, ipsa tamen melius retinet: *non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Rationem dat S. Bernardus hom. 4. sup. Miss. non ait Angelus, omne factum; sed omne verbum. An idcirco posuit verbum, quia quàm facile possunt homines loqui, quod volunt, etiam quod nullatenus possunt; tam facile, imò incomparabiliter facilius, valet Deus opere complere, quicquid illi valeat verbò exprimere. Sylveira hic.

Universum Deus, simul ut cogitavit, perficit id, quod cogitavit; & simul ac voluit, & cogitat hoc, quod voluit; tunc cogitans, cum vult; & tunc volens, quod cogitat: cum sit totus cogitatus, & totus sensus, & totus oculus, & totus auditus, & totus fons omnium bonorum. S. Irenæus l. 1. Adv. hæres. c. 6.

Ignis naturali motu in altum ferri consuevit, quemadmodum aqua fluxu deorsum vergente labitur. Nec possibile est, aquam, ut à montis radice exorta, cacumen versùs sursum feratur, dirigere; vel igni flammam suam deorsum emittat, persuadere. Creatori autem facilia factu sunt omnia. Equidem solem, & lunam, unà cum toto illo stellarum cœtu, cœlo terga vertisse, & radios suos deorsum emittere, videmus. Similiter & aquarum naturam, cum fluida, & fluxa, sit, sublimem tamen in altum subvehit idem opifex; & eximis Mundi partibus in altum subductam, mediam inter cœlum, & terram, extendens constituit, B. Theodoretus de provid. Dei l. 1.

§. III.

Potentiâ suâ utitur Deus in bonum.

Et erant valde bona. Gen. 1. 31. Bene omnia fecit, qui primam creationem aspiciens, cuncta, quæ fecerat, *erant valde bona.* Nescit ab ista potentia, præterquam bonum, egredi; sed ipsa creatura se trajicit in vitium. Sim. Cass. l. 5. c. 25.

Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es Domine. Pf. 88. 9. Unde hoc colligis vates sanctæ? *Tu, ait, dominaris potestati maris; motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* v. 10. Audin? potentior Deus habetur cæteris; non quòd ciere possit maris fluctus; sed quòd comprimere, & cohibere illos, soleat: sedare, non excitare, tempestates, indicium est omnipotentia. Olival. 12. Strom. §. Domine Deus &c.

Domine, si vis, potes me mundare. Matth. 8. 2. Non aptè leprosus de voluntate Domini dubitat, qui sanandi potentiam profiteretur. Potest mundare? ergo vult, si ab homine obstaculum non fuerit positum. Seneca. 4. de benef. c. 26. de Deo: aequali tenore bona sua pergentes, populosque, distribuit; unam sortitus potentiam, prodesse. Philo de migrat. Abrah. liquet, apud Deum esse potentiam, quæ ad opem nobis ferendam excubat, Escobar t. 1. mir. Chr. l. 4. Sect. 1. Obl. 3.

Scio, cui credidi; & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem. 2. Tim. 1. 12. quodnam illud depositum? Ambros. propriam salutem. Anselm, bona opera, cum spe æternæ remunerationis facta. Chrysost. ipsos Fideles. Cur non dixit: potens est servare, & vult servare? superfluum esset. Escobar. ib.

Divinam potentiam evidentius nihil manifestat, quàm justificare impium. Idiota lib. 3. contempl. c. 1.

§. IV.

Appendix.

Omnipotentiæ divinæ majestas cuncta potestatis suæ immensitate concludit; nec evadendi potentiam ejus quisquam aditum invenire poterit: quia ille omnia circumquaque constringit. S. Isidorus. l. 1. sentent. c. 2.

